

DII.

SANCTI FLORI

Episcopus S. Flori in Gallia quaerit utrum per Indulgentiam Altari Privilegiato adnexam intelligenda sit Indulgentia Plenaria animam statim liberans ab omnibus Purgatorii poenis, an vero tantum Indulgentia quaedam secundum Divinae Misericordiae Beneplacitum applicanda?

Sac. Congregatio, votis Consultorum auditis, respondit « Per Indulgentiam Altari Privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis, et usus clavium potestatis, intelligendam esse Indulgentiam Plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura Divinae Misericordiae Beneplacito, et acceptationi respondet » Ita Sac. Congr. Die 28 Julii 1840.

DIII.

TARRACONEN.

Beneficiatus Metropolitanae Ecclesiae Tarraconensis ab Apostolica Sede obtinuit plures facultates, nempe: impertiendi benedictionem cum Indulgentia Plenaria iis, quibus adstiterit in eorum agone: benedicendi Cruces, Numismata etc. etiam cum Indulgentiis S. Birgittae: Indultum Altaris Privilegiati personalis tribus diebus in hebdomada: Plenariam Indulgentiam ab ipso bis in mense acquirendam: Plenariam quoque in mortis articulo pro se, suis consanguineis, et affinibus ad tertium gradum, nec non pro quinquaginta aliis personis ab eodem designandis. Nunc dubitat quoad ipsarum facultatem usum licitum, et validum, orto dubio ex quadam declaratione Reverendissimi Domini Commissarii Generalis Cruciatæ in Hispania. Iste enim anno 1833 typis mandavit libellum, in quo postquam asseruit, omnes gratias, ac privilegia a Roma provenientia, in Hispania nullius esse valoris absque illius approbatione. (pag. 44 numero 2 ejusd. Libelli hispanico idiomate editi haec habet)

« Juxta ergo anteriorem facultatem, habet D. Commissarius Generalis facultatem agnoscendi, et examinandi omnes Indulgentias, gratias et privilegia quae a S. Sede conceduntur quibuscumque personis, seu corporationibus horum Regnorum, et effectum ullum habere nequeunt, dum non obtineant habilitationem, seu exequatur ejusdem D. Commissarii. Neque etiam possunt typis mandari, nec publicari aliqua ex istis gratiis, nisi praecedat ipsius approbatio, seu licentia ». *Quaeritur nunc ergo: Potest exponens absque approbatione, licentia, seu exequatur D. Commissarii Generalis Cruciatæ valide, et licite uti, fruique facultatibus, et gratiis supradictis?*

Sac. Congregatio praevis Consultorum votis respondendum esse duxit « Affirmative » videlicet; quoad usum et fruitionem dictarum Indulgentiarum posse oratorem licite, et valide, sed private tantum iisdem uti gratiis; dummodo in nullius gravamen cedant, aut in praejudicium tertii, aut scandali occasionem praebeant; et dummodo orator hasce Apostolicas gratias et facultates sine licentia Commissarii praefati, typis mandare non praesumat. Die 28 Julii 1840.

DIV.

TAURINEN.

Ex parte P. Praepositi Congregationis Oratorii S. Philippi Neri Civitatis Taurinen. exponitur, quod anno 1815 transeunte Pio VII san. me. ex illa Civitate, sacerdotes ejusdem Congregationis, pedes Summi Pontificis osculantes, illum humiliter exorarunt pro concessione, seu prorogatione Indulgentiarum, ac Privilegiorum, quibus jam ante suppressionem Eadem Congregatio gaudebat, quibus idem Pontifex pulchre respondit « Indulgentias, et Privilegia non amisisse, nam: siete stati oppressi, (inquit) e non soppressi; la soppressione non è stata legale » at vero pro majori eorum tranquillitate quaerunt a Sac. Congr. quid sentiendum sit hac super re?

Sac. Congregatio respondit « Nulla Indulgentiarum, seu Privilegiorum nova concessione, ob allatam ab Eodem Pontifice rationem, indigere ». Die 26 Augusti 1840.

DV.

ROTHOMAGEN.

Vicarius Generalis Dioecesis Rothomagensis Sacrae Congregationi proponit nonnulla dubia solvenda, ut infra.

1.^o *Utrum Sacerdotes qui a Sede Apostolica obtinuerunt licentiam benedicendi Coronas, iisdemque applicandi Indulgentias Birgittinas, recte agant, cum ad consequendum hunc effectum benedicunt Coronas ex quinque tantum decinis compositas?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi Sacerdotes peculiare habeant facultates ab Apostolica Sede impetratas ».

2.^o *Utrum fideles recitando Coronas, de quibus agitur in dubio primo praecedente, eodem modo ac recitari solet Rosarium commune lucrentur Indulgentias Birgittinas?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, quatenus fideles praedictas Coronas quinque decimum habeant benedictas cum Indulgentiis Sanctae Birgittae ab habentibus facultatem ».

3.^o *Utrum fideles ad lucrandas hujusmodi Indulgentias, scilicet, S. Birgittae dictas, meditari teneantur eadem Mysteria ac si recitarent Rosarium commune, seu Dominicanum?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

4.^o *Utrum in hypotesi responsionis negativae ad dubium tertium proxime praecedens, teneantur meditari quidquam aliud, v. gr. Septem Dolores, aut Septem Gaudia B. M. Virginis?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

5.^o *Utrum Sacerdotes percipere queant, ut dictum est in tertio exposito, id quod ipsi impenserunt pro Coronis benedictis, quas fidelibus distribuunt?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, et juxta quamplurima Decreta Sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis ».

6.^o *Utrum in hypotesi responsionis negativae ad quintum praecedens dubium, Sua Sanctitas dignetur: 1.^o Ratam facere quod usque modo factum est: 2.^o Permittere attento plurimorum Sacerdotum exiguo nimis peculio, ut in posterum, salva Indulgentiarum gratia, id fieri possit quod expositum est?*

Sac. Congregatio respondit « Supplicent Sacerdotes particulariter Sanctitatem Suam pro sanatione quoad praeteritum, quatenus bona fide se gesserint; quoad futurum Negative » Ita respondit, et declaravit Sac. Congregatio. Die 2 Octobris 1840.

DVI.

VALENTINEN.

Vicarius Generalis Capitularis, ac Superior vulgo delle Dame Trinitarie Civitatis, et Dioecesis Valentinensis quaerit in Sac. Congregatione.

1.^o *Utrum praefatae Trinitariae per diversas Galliarum Dioeceses diffusae publicare possint in earum Ecclesiis singulas Indulgentias concessas earum Ordini Sancti Joannis de Matha usque in praesens, attenta revocatione san. me. Pauli V plurimarum Indulgentiarum Ordinibus Regularibus concessarum; et quatenus dictae Indulgentiae existant, possuntne ipsas publicare?*

Sac. Congregatio respondit « Possunt promulgare Indulgentias tantum earum Ordini concessas juxta Summarium recens constructum a Sac. Congregatione, ab eaque approbatum, non obstante revocatione san. me. Pauli V; dummodo vero praefatae Trinitariae canonice fuerint receptae ».

2.^o *Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet Altaris Privilegiati personalis; erigendi Stationes Viae Crucis; benedicendi Cruces, Numismata etc. debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative quoad Viae Crucis erectionem » Negative relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus.

3.^o *Utrum valide erectae sint Sodalitates cum in Gallia, et praecipue in Dioecesi Valentinensi servatus non sit modus praescriptus in Bulla Clementis VIII relatus in Bibliotheca Ferrari; impetrato tamen a Sede Apostolica Indulto, vi cuius, et*

juxta ejus tenorem erectio peracta sit, ac verbali processu uniuscujusque erectionis in qualibet respectiva Parochia dimisso?

Respondetur « Affirmative quoad validitatem, extante jam Sanctae Sedis Indulto derogatorio Bullae, seu Constitutionis Clementis VIII ».

4.^o *Utrum in adscribendis fidelibus Sodalitati sacri Scapularis liceat uti in plurali parva formula « Accipe vir devote etc. »?*

Respondetur « Affirmative juxta praepositam Rubricam in precibus benedictionis sacri Scapularis ».

5.^o *Utrum sufficiat recitatio Confessionis, idest Confiteor etc. in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta quando impertienda sit benedictio cum Indulgentia in Mortis Articulo?*

Respondetur « Negative juxta praxim, et Rubricas, nisi necessitas urgeat ».

6.^o *Utrum necesse sit tribus vicibus recitare Confiteor etc. quando administratur Sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in Mortis Articulo impertitur?*

Respondetur « Affirmative juxta Praxim, et Rubricas ».

7.^o *Utrum infirmus lucrari possit Indulgentiam Plenariam in Mortis Articulo a pluribus Sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam?*

Respondetur « Negative in eodem Mortis Articulo ».

8.^o *Utrum Sacerdos valide conferat Indulgentiam Plenariam in Mortis Articulo, omissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam?*

Respondetur « Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva ». Die 5 Februarii 1841.

DVII.

DITIONIS HELVETICAE

Ex parte Cappuccinorum Helveticae Provinciae Dubium proponitur Sacrae Congregationi ut infra, nempe Benedictus XIV in suis Monitis ad recte peragendas Viae Crucis Stationes, editis

die 10 Maii 1742 et praecipue sub N.^o VII sic ait « Che essendo eretta la Via Crucis nella Chiesa per quel tempo degli Uffizj Divini, e della S. Messa, e quando in Chiesa vi sia tal concorso di popolo, che possa cagionar tumulto e disturbo, si astengano di praticarla, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento, si devono visitare ad una, ad una le Stazioni » Ex hujus moniti conclusione dubium oritur, an Christifideles in magno populi concursu, maxime cum Ecclesia repleta, et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum Indulgentias Viae Crucis lucrari?

Sac. Congregatio respondit « Negative: singula enim Summor. Pontificum Decreta affirmant inter alias conditiones pro acquirendis Stationum Viae Crucis Indulgentiis, necessario requiri aliquem Corporis motum, ut clarius declaratum est a Sacra Congregatione die 30 Septembris 1837 nempe « Che si passi » da una Stazione all'altra per quanto permette o la moltitudine delle persone, che la visitano, o la ristrettezza del » luogo dove sono erette. . . » Et ita declarat Sac. Congregatio die 26 Februarii 1841.

DVIII.

MONASTERIEN.

Pro parte Episcopi Monasteriensis petitur resolutio decisiva ad quaestionem sequentem « Num is, qui in die festo Paschatis, quo Benedictio Papalis datur ab Episcopo, et ea de causa Indulgentiae Plenariae concessae sunt, pro lucrandis his Indulgentiis Sanctissima Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae suscipit, per hanc Sacramentorum susceptionem etiam praeepto Ecclesiae de Communionem Paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad haec Sacramenta tempore Paschali accedere teneatur? »

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis rescripsit « Consulendum Sanctissimo » Quo audito, sequenti universali Decreto respondit.

URBIS ET ORBIS

Delatis precibus ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositam ex parte Episcopi Monasteriensis, in quibus dubium proponebatur « Num is, scilicet, qui in die festo Paschatis, quo Benedictio Papalis datur ab Episcopo, et ea de causa Indulgentiae Plenariae concessae sunt, pro acqui- rendis his Indulgentiis Sanctissima Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae suscipit, per hanc Sanctissimorum Sacramentorum susceptionem etiam praecepto Ecclesiae de Communione Paschali simul satisfaciatur, aut num adhuc iterato ad haec Sanctissima Sacramenta tempore Paschali accedere teneatur? » Sacra Eadem Congregatio, auditis Consultorum votis, respondendum esse duxit « *Consulendum Sanctissimo* » Factaque de omnibus Eidem Sanctissimo Domino Nostro Gregorio PP. XVI per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia habita die XIX Martii MDCCCXLI. Sanctitas Sua benigne declaravit « *Per Con- fessionem, et Communionem die Paschatis Resurrectionis perac- tam et Indulgentiam Plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari, et satis praecepto Paschatis fieri* ». Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die, et anno, quibus supra.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

A. Canonicus Prinzivalli Substitutus.

DIX.

RHEDONEN.

Cum inter coetera Romani Pontificis Benedicti XIV. Decreta de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum canonizatione prae- cipue sancitum sit, quod de Sanctorum Corporum et Reli- quiarum identitate per probationes firmas, etsi non metaphysica, vel physica, saltem morali evidentia certas constare debeat, cum- que Sacra haec Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita Con- gregatio ex allata relatione Presbyteri Joannis Nevot Vicarii Ge- neralis Rhedonensis Dioecesis, atque ex adnexis documentis super

Lypsana seu Reliquias Sanctae Benitae firmis, certisque proba- tionibus ex morali evidentia deductis careat omnino, auditis Con- sultorum votis, rebusque mature libratis, sic respondendum pu- tavit « *Ordinario, qui utendo jure suo, examen instituat hac super re, adhibitis in consilium duobus vel tribus probatissimis viris in aliqua Ecclesiastica dignitate constitutis, simulque ocu- lari recognitione signorum peracta, auditisque nonnullis Monia- libus Carmelitis, apud quas praefatae olim asservabantur Re- liquiae, ut de visu certum testimonium perhibeant, hisque prae- habitis quae veritati et pietati consentanea judicaverit, definiat atque decernat* » De quibus omnibus facto verbo cum Sanctis- simo Domino Nostro Gregorio PP. XVI, Sanctitas Sua ejusdem Sac. Congregationis Decretum approbavit. « Datum Romae ex Se- cretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum Sacrarumque Reli- quiarum. Die 19 Martii 1841.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

H. Ginnasi Secret.

DX.

PLACENTINA

Fratres Ordinis Minor. Reformatorem Civitatis Placentinae quaerunt a Sac. Congregatione « *Utrum in Ecclesiis Seraphici Ordinis, quae tempore gallicae suppressionis ablatae fuerunt a praefati Ordinis subjectione, quaeque sub cura modo tenentur a Presbyteris Saecularibus, quin Regulares ullo modo suis ju- ribus renuntiassent, Indulgentiae vulgo Portiunculae, atque aliae vigore praefati Ordinis concessae, adhuc a fidelibus lucrari possint, eo magis quod san. me. Pium PP. VII hac super re aliquid declarasse affirmatur?* »

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, respondit « Non constare de Summi Pontificis Pii VII san. me. declaratione, ac proinde « *Negative* ». Pro iis vero locis, ubi affirmativa sententia tenetur, ne scandalum in fideles oriatur, recurrendum erit ad Sanctam, et Apostolicam Sedem pro ipsius Indulgentiae vulgo *Portiunculae* concessione, exposita tamen causa in allato dubio citata » Ita Sac. Congr. Die 29 Maii 1841.

DXI.

BRIOCEN.

Parochus Ecclesiae Curialis vulgo Rosternen. in Dioecesi Briocensi; item Rector Congregationis B. M. V. in minori Seminario vulgo Plouguernevel ejusdem Dioecesis Sac. Congregationem Indulgentiarum demisse supplicat sequentia dubia declarare.

1.^o *An eodem die lucrari possint plures Indulgentiae Plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae?*

Sac. Congregatio « Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus ».

2.^o *An possit per preces jam obligatorias v. gr. per Horas Canonicas satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucranda Indulgentiam Plenariam?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

3.^o *An sufficiat quinquies Pater, et Ave, quae recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intensionem, quando praescriptum est, ut visitetur Ecclesia, vel Altare, ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda Indulgentia Plenaria praescriptum est associatis Operi Propagationis Fidei?*

Respondetur « Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intensionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur ».

4.^o *Intra quotas horas diei ipsius, vel diei pridianae recitari debeant preces a Summo Pontifice praescriptae ad lucranda Indulgentiam Plenariam?*

Respondetur « Intra idem tempus designatum pro Indulgentiarum acquisitione ».

5.^o *An possit Indulgentia Altaris Privilegiati lucriferi a Sacerdote, qui celebrat Missam de feria non privilegiata, seu de festo, quod non sit duplex, nec infra Octavam?*

Respondetur « Negative, et standum Indulto san. me. Clementis VIII sub die 7 Martii 1771 ».

6. *An in facultate a S. Sede concessa benedicendi pro numero mille Cruces, Crucifixos, Numismata etc. Haec verba pro numero mille intelligenda sint de mille Crucibus, mille Crucifixis, mille Numismatibus etc.?*

Respondetur « Negative, sed mille in totum ».

7.^o *An qui obtinuit facultatem benedicendi Coronas precatorias, iisdemque Indulgentias impertiendi, habeat absque speciali privilegio facultatem quoque benedicendi, et ditandi Indulgentiis Coronas Domini, vulgo dictas Camaldulensium?*

Respondetur « Negative ».

8.^o *An fideles, qui non intenderent recitare Coronam precatoriam, recitant quasdam preces manu tenent Coronam sive Domini, sive Beatae Virginis, et grana volvent, lucrantur pro unoquoque Pater, vel Ave, vel Credo, vel alia oratione easdem Indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent Coronam precatoriam?*

Respondetur « Negative ».

9.^o *An qui quotidie recitat Hymnum Veni Creator Spiritus, et Sequentiam Veni Sancte Spiritus possit in eodem mense lucrari duas Indulgentias Plenarias?*

Respondetur « Negative: legitur enim in Decreto Sac. Congregationis » Veni Creator Spiritus « vel » Veni Sancte Spiritus ».

10.^o *An idem vir possit aggregari multis Sodalitatibus, et lucrari Indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas impleat?*

Respondetur « Affirmative ».

11.^o *An idem Altare in eadem Ecclesia possit assignari ut Altare proprium variis Sodalitatibus, v. gr. Sanctissimo Rosario, Beatae Virgini de Carmelo, Sanctissimo Cordi Jesu?*

Respondetur « Affirmative in genere, et de consensu uniuscujusque Rectoris respectivae Sodalitatis ibi erectae, sed ad praecavendas quaestiones, quae facile oriri solent quoad functiones peragendas, aut Altare custodiendum etc. magis expedit, si fieri potest, ut quaelibet Sodalitas suum habeat Altare.

12.^o *An, quando possessor Coronae Domini, vel Crucis, cui applicatae sunt Indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive Coronam, sive Crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes, et simul recitantes, easdem Indulgentias lucrari, quas lucratur possessor Coronae, seu Crucis?*

Respondetur « Negative absque speciali facultate ». Ita declaravit Sac. Congr. Die 29 Maii 1841.

DXII.

VENETIARUM

Ad humillimas preces Eminentissimi Jacobi S. Romanae Ecclesiae Cardinalis Monaco Venetiarum Patriarchae Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui publice, vel privatim Sanctissimo Redemptori Nostro peculiaria honoris obsequia in mense Julii corde saltem contrito, ac devote praestaverint, et per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, Indulgentiam tercentum dierum semel tantum singulis diebus lucranda; ac Plenariam etiam Indulgentiam una ejusdem mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo tamen ipsi Christifideles eadem die vere poenitentes confessi, ac S. Communionem refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ac ut supra oraverint clementer pro Venetiarum tantum Dioecesi concessit; facta quoque facultate easdem Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae ex Secret. Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Junii 1841.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.
H. Ginnasi Secret.

DXIII.

MECHLINIEN.

Cum in Calendario Liturgico Dioecesis Mechliniensis annuntiari soleant Indulgentiae in quibusdam festis omnibus fidelibus concessae, Cardinalis Archiepiscopus dictae Dioecesis infrascripta dubia Sac. Congregationi decidenda proponit.

Dubium Primam. *Ex concessione Eugenii IV lucratur Indulgentias 400 dierum quilibet fidelis devote assistens Matutino in festo Corporis Christi; totidem qui Missae, et totidem qui utrisque Vesperis interfuerit; item indulgentias 200 dierum lucratur quicumque illa die communicaverit, et totidem qui Processionem devote fuerit comitatus; qui autem interfuerit cuilibet ex parvis horis lucratur Indulgentias 160 dierum: quaeritur.*

1.^o *An istae Indulgentiae translatae sint in Dominicam proxime sequentem, seu Solemnitatem (pro qua Pius VII concessit Indulgentiam Plenariam, servatis servandis, per totam Dioecesim Mechliniensem), ita ut in ipso festo Corporis Christi (quando in praefata Dioecesi initium habet Octava quoad omnia Officia, translata sola Processione in Dominicam) fideles tantum lucrentur mediam partem praedictarum Indulgentiarum, sicut reliquis diebus Octavae?*

2.^o *An qui memoratas Indulgentias lucrari cupiunt, debeant esse non tantum vere poenitentes, et contriti sed etiam confessi?*

3.^o *An omnes et singulae Indulgentiae ab Eugenio IV ut supra concessae valeant per modum suffragii animabus in Purgatorio applicari, ut fertur declarasse Benedictus XIV die 13 Septembris 1749?*

4.^o *An Authenticum sit Rescriptum diei 12 Maii 1817 quo Pius VII concessisse dicitur, ut omnia Altaria cujuslibet Ecclesiae sint privilegiata tempore Orationis Quadraginta Horarum (quocumque anni tempore fiant) et Indulgentiae concessae applicari valeant fidelibus defunctis?*

Sac. Congregatio respondit « In festo Corporis Christi omnes Christifideles, qui contriti, et confessi, devote interfuerint pri-